Ego Jofephus de Oliveira Callado, in Facultate Artium Magifter, & in Regali, ac Pontificio Collegio Purificatæ Virginis Collega, idem cenfeo, ac juro. Subfcrip. m. p.

Ego Didacus de Pinna Botelho, in Facultate Artiũ Magifter, & in Collegio Dei Matris Collega, idem cenfeo, ac juro. Subfcrip. m. p.

Ego Jofephus Dias Montes, in Facultate Artium Magifter, & in Regali, ac Pontificio Collegio Purificatæ Virginis Collega, idem cenfeo, ac juro. Subfcrip. m.p.

Ego Ludovicus Perdigaõ, in Facultate Artium Magifter, & in Regali, ac Pontificio Collegio Purificatæ Deiparentis Collega, idem cenfeo, ac juro. Subfcrip. m. p.

Ego Emmanuel da Fonfeca, in Facultate Artium Magifter, & in Regali, ac Pontificio Collegio Purificatæ Vir-

 ginis

ginis Collega, idem censeo, ac juro. Subscrip. m. p.

Ego Franciscus Xavier, in Facultate Artium Magister, & in Regali, ac Pontificio Collegio Purificatæ Virginis Collega, idem censeo, ac juro. Subscrip. m. p.

Ego Antonius Rovisco, in Artium Facultate Magister, & in Regali, ac Pontificio Collegio Purificatæ Deiparentis Collega, idem censeo, ac juro. Subscrip. m. p.

Ego Christophorus Rozado, in Facultate Artium Magister, idem censeo, ac juro. Subscrip. m. p.

Ego Damasus Rodriguez Societatis JESU, in Facultate Artium Magister, idem censeo, ac juro. Subscrip. m.p.

Ego Benedictus Franciscus, in Facultate Artium Magister, idem censeo, ac juro. Subscrip. m. p.

Ego Josephus Coelho de Mira, in Facultate Artium Magister, idem censeo, ac juro. Subscrip. m. p.

Ego Alfonsus Guerreyro de Britto, in Facultate Artium Magister, & in Regali, ac Pontificio Collegio Purificatæ Virginis Collega, idem censeo, ac juro. Subscrip. m. p.

Ego Emmanuel da Costa Sylveira, in Facultate Artium Magister, & in Regali, ac Pontificio Collegio Purificatæ Virginis Collega, idem censeo, ac juro. Subscrip. m. p.

Ego Paulus Leitaõ de Macedo, in Facultate Artium Magister, idem censeo, ac juro. Subscrip. m. p.

Ego Hugo Maguier, in Facultate Artium Magister, i-

 dem

dem censeo, ac juro. Subscrip. m. p.

Ego Terentius Gañan, in Facultate Artium Magister, & in Regali, ac Pontificio Collegio Purificatæ Virginis Collega, idẽ censeo, ac juro. Subscrip. m. p.

Ego Josephus de Camera Leme, in Facultate Artium Magister, idem censeo, ac juro. Subscrip. m. p.

Ego Joannes Baptista Sarça, in Facultate Artium Magister, idem censeo, ac juro. Subscrip. m. p.

Ego Antonius Coelho, in Facultate Artium Magister, idem censeo, ac juro. Subscrip. m. p.

JURAMENTUM

Præstitum a Conservatoribus, ac Deputatis,

ALIISQUE MINISTRIS ACADEMIÆ

Juxta Judicium Sacræ Facultatis Theologicæ.

EGo Antonius Nunez Vieyra, in Facultate Sacrorum Canonum Licentiatus, Parochialis Ecclesiæ S. Mamantis Prior, & Judex Conservator Academiæ Ecclesiasticus, idem censeo, ac juro. Subscrip. m. p.

Ego Maurus ab Angelis, Canonicus Sæcularis Congre-

gationis Divi Joannis Evangelistæ, ejusque in Eborensi urbe Collegii Rector, Judex Conservator Academiæ Ecclesiasticus, idem censeo, ac juro. Subscrip. m. p.

Ego Franciscus Lopez de Beja Villarinho, in Sacrorum Canonum Facultate Baccalaureus, Ordinis Equitum Militarium JESU Christi, in Eborensi urbe, ejusque territorio Prætor, ac in Senatu Forensium Expeditionum jure suffragii donatus, Judex Academiæ Conservator, idem censeo, ac juro. Subscrip. m. p.

Ego Josephus Henricus Cavaco, in Juris Cæsarei Facultate Baccalaureus, Senator Forensium Expeditionum Honorarius, Academiæ Deputatus, idem censeo, ac juro. Subscrip. m. p.

Ego Gilius Vaz Lobo de Pantoja, in Facultate Sacrorũ Canonum Baccalaureus, in Nobilium Famulorum Regiæ Domûs numerum Succenturiatus, Academiæ Deputatus, idem censeo, ac juro. Subscrip. m. p.

Ego D. Rodericus de Mello, Cancellarius minor, sive à sigillo Academiæ, idem censeo, ac juro. Subscrip. m. p.

Ego Laurentius Lobo da Gama, in Virum Patritium Regiæ Domûs adoptatus, & Judex Executionum de reditibus Academiæ solvendis, idem censeo, ac juro. Subscrip. m. p.

Ego Franciscus Piteyra Vidigal, in Facultate Juris Cæsarei Baccalaureus, & Academiæ Syndicus, idem censeo, ac juro. Subscrip. m. p.

JURAMENTUM
Præstitum a Regiis Justitiæ Administris.

Juxta Judicium Sacræ Facultatis Theologicæ.

Regiæ Maiestatis Ministros juri inter Eborenses dicundo præpositos, & si nullis Academiæ legibus tenerentur, tantus tamen cepit Religionis ardor, ut eodem voluerint Sacramenti vinculo adstringi, quò suam Romano Pontifici fidem non dubio argumento probarent: Eos igitur Juratis Academicis, quasi illorum tabulis additos, de mandato Sacræ Theologicæ Facultatis adnectam.

Ego Josephus a Sanctis Palma, in Facultate Juris Cæsarei Baccalaureus, Judex Regio fisco Præfectus in Eborensi urbe, & Sanctæ illius Inquisitionis territorio in hæresis, & Apostasiæ convictos, in Senatu Forensium Expeditionum jure suffragii donatus, Familiarium ejusdem Inquisionis Ministrorum, & Fisci Officialium Judex Conservator, idem censeo, ac juro. Subscrip. m. p.

Ego Petrus Mariz Sarmento, in Facultate Sacrorum Canonum Baccalaureus, Ordinis Equitum Militarium JESU Christi, in Eborensi urbe, ejusque territorio Piorum Legatorum Inspector, & in Senatu Forensium Expeditionum jure suffragii donatus, idem censeo, ac juro. Subscrip. m. p.

Ego Emmanuel da Sylva Rego, in Facultate Sacrorum

Canonum Baccalaureus, in Eborensi urbe Judex Extraneus, idem censeo, ac juro. Subscrip. m. p.

Ego Didacus Gomez da Costa Antas, in Facultate Juris Cæsarei Baccalaureus, in Eborensi urbe Judex Pupillorum, idem censeo, ac juro. Subscrip. m. p.

QUibus absolutis, suggestum ascendit R. P. Magister Stephanus de Sequeyra Societatis JESU, & plena nervo oratione explevit, quæ Sacra Theologica Facultas quarto, ut supra memoravi, statuto decreverat.

ORA-

ORATORIA PROPUGNATIO
PRO CONSTITUTIONE APOSTOLICA SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
D. CLEMENTIS XI.
PONTIFICIS OPT. MAX;
QUÆ INCIPIT,
Unigenitus Dei Filius

HOc reflanti fato, & non levi infortunio laboraſti, Chriſtiana Religio, ut in eam incideris miſerrimam temporum conditionem, quæ te immanè quantùm impulerunt, ut maximo, juſtiſſimoq́ dolori omnem ultra modum indulgeres; & certe tibi non erat non dolendum, cùm eximiam Romani tui Oraculi dignitatẽ, amplitudinẽ, authoritatẽ ipſamet graviſſima, difficiliaque tempora ſub oculos ponerent parvi quodammodo habitam, pene attritam, imminutam; neque enim aliud à te potuit judicari, cum prodeunte adverſus Paſchaſij Queſnelli Theſes rectiſſima, ſaluberrimaque Conſtitutione, in id è Pariſienſibus Doctoribus nonnulli conſpiraverint, ut publica illa denegarentur ſuffragia, illæ venerationes, illi plauſus, univerſaque illa deficerent obſequentium animorum ſigna, quæ hujuſmodi ſanctiſſimis placitis, religioſiſſimiſque decretis merito, atque optimo deberi jure atteſtamur. Minor utique te premeret

meret afflictatio, si, qui sese adeo irreverenter gesserunt, ij forent profligati homines, qui, cùm Hereticis dogmatis studeant, student pariter, quo te odio prosequantur, quibus afficiant contumeliis, quo irrisu, quo furore, quo contemptu honores tuos explodant, lacerent, proculcent; in eo siquidem, quòd in adhibendis suffragiis, in præstandis obedientiæ testimoniis decumanam negligentiam præ se ferrent, illud experta quidem esses, quod ab infensissimis hostibus debueras expectare: cùm verò, qui Pontificiæ Constitutioni non acquiescere visi sunt, ij plane sint homines, qui se Christianæ dignitatis acerrimos propugnatores, fidelissimosque alumnos tuos profitentur, video sanè, quàm ampla ad excitandum non vulgarem doloris sēsum, illumq̄ continuò fovendum tibi materies suborta sit: gravissimum dolorem capi consentaneum est, cùm injuria ab iis irrogatur, à quibus nihil aliud sperari poterat, nisi perpetua quædam amoris tessera, luculentumque indicium benevolentiæ. Doluisti ergo non immerito, & adhuc te dolere scio, Christiana Religio; hoc tamen solatij genere profusas identidem lachrymas, & emissa suspiria poteris aliquantulum intermittere, quòd te videas non ita apud mortales infelicem, ut humano patrocinio tua causa prorsus destituatur.

Omne nimirum studium, omnemq̄ opem statuit collocare, ut in tanta adversitate præsto adesset, dilectissima tibi in paucis Lusitania tua; parum familiariter se facturam existimavit, nisi tuæ causæ propugnationem libens, volensque susciperet. Iam pridem ex hac sua Eborensi Academia ad Lutetiam Parisiorum epistolam miserat, in qua suum erga sanctissimam Constitutionem laudabile judicium aperiebat. Sed maius aliquid (aiebat Lusitania) maius aliquid exigit rei eximiæ magnitudo: iterū iterūq̄ perpendi, quanti ponderis, & momenti sit sanctissima Romani Oraculi Constitutio; peculiarem ideo venerationis ritum instituam;

tituam;

tituam, Dei opt. Max. aras petam, ad illas reverenter provolvar, publicum emittam jusjurandum, quo meam fidem in id obstringā libenti animo, ut meo sanguini, meæ vitæ eligam potiùs renuntiare, quàm à tuenda Sanctissimæ Constitutionis veritate per metum desistere, conquiescere. Satis, superque esset hoc publicæ pietatis monumentum, ut pro justissima Christianæ Religionis causa viderer propugnare; habent enim immensas quasdam vires ad persuadendum non vulgaria exempla. Dabo tamen Oratorem, qui rostra conscendat, illos Parisienses adversarios Oratione lacessat, iis urgeat rationum momentis, è quibus possint deprehendere errorem suum, eamque adduci in sententiam, nihil aliud in sanctissima Constitutione, nisi editū è cælo oraculum recognoscendum; illam esse dignissimam, quæ in sacris annalibus, aureis literis exaretur; quæ veritatis emblema nuncupanda sit; quæ non tam reverentibus oculis sæpe usurpari, quàm vel ipsis cordibus altè affigi mereatur. Ita aiebat Lusitania, & quàm vere ex animo loqueretur, auspicatissimo ex eventu innotescit.

Illuxit dies illa faustissima, qua Conimbricensi Academiæ gloriosè contigit novam pijssimi jurisjurandi celebritatem intueri; non minus felix, ac perbeata resplendet præsens dies, qua ejusdem celebritatis ritu Eborensis Academia longe gloriatur, ac triumphat: æquum plane fuit, ut ad publicum sacramentum hæc sua literarum emporia, & politissimæ sapientiæ domicilia seligeret Lusitania, ut vel ex locorum ingenio dignoscendum proponeret, quàm Sapienter meditatum opus perficiebat. Adsum tandem ego destinatus Orator, qui Lusitaniæ meæ morem libentissime gesturus ad demandatam provinciam jam accingor: eum igitur in dicendo sequar ordinem, ut, cum primum ad sāctissimæ Constitutionis æquitatem demonstrandam pro virili decertaverim, ad debitam subinde venerationem, ac obedientiam persuadendam dirigatur propugnatio.

 Atque

Atque, cùm primam orationis partem jam aggrediar, è Quesnellianis ipsis damnatis Thesibus petitum auspicari succurrit argumentum. Dicite, quæso, Parisienses Doctores, per Deum dicite immortalem, quid puriori doctrinæ consonum, solumque injuriose reprobandum in Quesnelli Propositionibus contemplemini, ut pro illarum defensione in arenam veluti descendere videamini? Meliùs quærerem, quid non impium, quid Christianis auribus non ingratum, quid erroribus non scatens, quid ab Orthodoxa veritate toto cælo non aberrans introspiciendum à vobis foret, si perniciosa illa dogmata diligentiùs perpenderetis? Minime diffiteri vos arbitror eam ludibrio exponendam doctrinam, interque egregias hæreses numerandam, cum qua salutaria documenta tum à Divinis Literis, tum à Sacratissimis Conciliis, tum a venerabilibus Ecclesiæ Magistris accepta neutiquam valeant cohærere; revocate ergo ad lentioris judicij trutinam, an illis nostræ Fidei oraculis ex æquo respondeant Propositiones, quas nullo infectas vitio existimatis? Docentne Divinæ Literæ, Sacrosancta Concilia, Sanctissimi æque, ac literatissimi Patres, docentne, (A) animam lethali crimine deturpatam omni prorsus cælestium donorum ornatu spoliari, eòque calamitatis devenire, ut nihil laudabilis, honestique operis possit unquam exercere? O dementiam! Docentne, Christianæ (B) Religionis alumnos non esse, quibus benignissimus ille bonorum omnium dispensator Deus victricis Gratiæ auxilia non suppeditet? O figmentum. Docentne (C) nullū aliud beneficium prolapsis in scelera mortalibus à Supremo, Divinoque Largitore primum donari, nisi ipsorum scelerum extinctionem? O mendacium! Docentne, (D) apud Deum effusas Impiorum precationes novum abire in piaculum! O impietatem! Docentne, (E) sceleratorum hominum numero illum esse adscribendum, qui nullo alio retardatus vinculo, sed infligendis suppliciis deterritus à patrandis

[A] Propos. 1. Quesnel. damnata.

[B] Propos. 8. Quesnel. damnata.

[C] Propos. 28. Quesnel. damn.

[D] Propos. 59. Quesnel. damn.

[E] Propos. 62. Quesnel. damn.

crimini-

criminibus abſtineat? O errorē! Docēntne, (F) ad æternam Beatorum felicitatem in Fide tantùm, & precibus compendiarium iter aperiri? o fabulam! Docentne tot alios palmares errores partim perſonatos, partim nudata facie, quot Pontificia Conſtitutione proſcribuntur? o pluſquam anilia commenta! o inania ſomniantium animorum ſpectra!

[F] Propoſ. 68. Queſnel. damn.

Enim vero ſi hæc figmentorum congeries à probatiſſimis noſtræ Fidei dogmatis non declinare credendum eſſet, diceretur pariter plures cum Orthodoxa doctrina cōvenire delirationes, quas, utpote Hæreticarum mentium partus, non irridemus ſolùm, ſed deteſtamur. Replicate curioſiùs temporum memoriam, evolvite perattentiùs annales, & damnatas olim hæreſes diligentiori ſtudio perlegite, cum his tandem fingentium animorum, ſibique illudentium ſimulacris Queſnelli Propoſitiones conferte; quàm multas mediusfidiùs non tam illis erroribus affines, quàm eiſdem veluti à parentibus in lucem editas obſervabitis, ſeu, ut rectiùs loquar, deprehendetis quidem non ſecus differre, atque apud fabularum inventores Minerva à Pallade diſcriminatur. O ſi in hujuſmodi accurata collatione vocalia fierent veſtra omnium judicia. Quot ſententias quaſi è tripode pluſquam Delphico pronuntiatas acciperemus! frequenter enim notante preſſis digito Queſnellianis theſibus, quibus primum è fontibus id Queſnellus venenum hauſerit; loquentium judiciorum voces evulgarent: has nimirum legeretis Propoſitiones, lectionem ſubinde ſequeretur hæc veſtri judicij exclamatio: En quod proterve inculcabat Lutherus: ad illas poſtea Propoſitiones curioſi oculi converterentur; hæc è veſtigio vox erumperet: En quod impie aſſerebat Calvinus: lectioni ulterius incūberetis; audiremus profecto: En quod impudenter jactabat VViclefus: progrederetur lectio; hic veſter prodiret ſenſus: En quod nefarie docebat Ianſenius: ſi diligens non quieſceret obſervatio, hæ procul dubio ſonarent voces: En tranſcriptos Baij errores:

rores: si alias tandem Propositiones legeretis, ita vestra judicia exclamarent: En Ioannis Hus figmentum, hæc demětia Ioviniani, hæc Richerii deliratio. Videte igitur, quid de Quesnelli Thesibus sentiatis; par enim judicium de illorum insanientium authorum mendaciis à vobis fieri necessum erit: sed non suspicor eo furore, atque audacia vestram corrumpi sapientiam, ut illis hæreticæ militiæ primipilis laudem unquam tribuendã statuatis; cur ergo Quesnelli defensio suscipienda, si ejusdem perfidiæ vexillis ascribitur, eisdem armis præliatur, eosque duces fidelissime sequitur, quos, cùm Christianæ Reipublicæ perniciem moliantur, justis odiis prosequimini?

Video hoc vos muniri clypeo, qùod scilicet vestra pietas, ac religio non pateretur iis informari documentis, quibus sana interpretatio adhiberi non posset; & certe à vobis audire mihi videor, eas esse Quesnelli Propositiones, ut Christiano quodam sensu exponi queant, illisque citra dubium contingere, quod in depictis belluis observari solet, quæ licet ingenitam quandam rabiem, ac sævitiam spirare videantur, mutis tamen colorum suasionibus non ita ducimur, ut credamus veram inesse ferocitatem. Nescio, doleamne, an mirer? quod hæc vobis arrideat opinio: perpẽdite, quæso, quàm luctuosum in præcipitium divertatis; nam, si ad Orthodoxam interpretationem revocandũ, quod hæresim exhalat, vestrum hoc judicium ab infamia vindicabit, quot sectas ad Romanæ Ecclesiæ eversionem perditissima tot ingenia excogitarunt; quî enim fiet, ut ejusdem excusationis velo illarum omnium sectarum errores non circumvestiri posse vel Tulliana suadeat eloquentia? qnidni hoc vestro testimonio incitati nonnulli dictitent? Legamus Calvinum, legamus Lutherum, legamus Ianſenium; reprobata tot aliorum Hæreticorum opera non primoribus tantùm (ut aiunt) labris degustemus, sed ad satietatem usque curiosa lectione exhauriamus; quod dissonum, quod

 ingratum

me decreverat: illa illa fuit, quæ Apoſtolicum diploma Clementis XI (quem Antiſtitem Maximum in terris veneramur, & utinam diutius veneremur) quæ, inquam, diploma illud ad Eccleſiæ alumnos Fæderato in Belgio commorantes probris graviſſimis violavit. O ſi adeſſent Lovanienſis Academiæ Doctores, Vicarius Apoſtolicus Sylvæducenſis, Mechlinienſis Archiepiſcopus, quàm juſtas erumperent in querelas, dum Queſnelli calamo perſtrictum ſuum illud decretum meminiſſent, quo ingraveſcenti novitatum peſti occurrere deliberaverant! O quoties ad juſtiſſimam iracundiam inſtigamur, cùm in mentem ſubeunt illi dialogi non luce digni, ſed incendio, quibus in Pontificiam authoritatem *Obſervationum Moralium* volumina primo proſcribentem novus iſte mordacis Archiloci imitator audaciſſime invehitur! hucuſque non evanuit aliorum operum, quæ prætereo, injucunda, triſtisque recordatio, in quibus illius animi pertinacis, temerarij, ſeditioſi, & Chriſtianæ Religioni infenſiſſimi non levia, obſcurave indicia legebantur.

En Queſnelli mores, en licentioſa ſcripta; quam ergo exiſtimationem de illius hominis Propoſitionibus concipiemus, quem cum ipſæmet Propoſitiones accuſent, nulla eſt vitæ probitas, quæ liberet; in ſuis imo peſſimis moribus, in ſuis audaciſſimis ſcriptis validiſſimos in ſe etiam experitur accuſatores. Quid igitur eſt, quod amplius deſideretis, adverſarij, ut vobis tandem pateat, an æquiſſima fuerit ſanctiſſimi Domini Noſtri Clementis XI. Conſtitutio? Credo ego non vos fugere, quibus cenſuris illuſtriſſimi Epiſcopi Vapincenſis, & Lucionenſis, Rupellenſis, & Aptenſis Queſnellianum librum his pernicioſis, quas inſectamur, Theſibus affluentem improbaverint. Notiſſimum vobis eſt unũ, alterumque Opuſculum à Gallico Scriptore concinnatum, in quibus eò collineant rationum momenta, ut Queſnellum è ſuis *Moralibus Obſervationibus* ſeditioſum, hæreticumq̃ demonſtrari nequis ambigat: quid referam, quàm accurate,

 quàm

quàm ſtudioſe, quàm maturo judicio in Queſnelliana cauſa ſe geſſerint peritiſſimi Cenſores, quid, inquam, id referam, cum nemini exiſtimem non perſpicuum, in ſuaque ipſius Conſtitutione Romanum Oraculum atteſtetur? quid aliud hæc veluti præconia,& ſuffragia, niſi Sanctiſſimæ Conſtitutionis æquitatem præ ſe ferunt, ac commendant? & erit, qui Queſnelli defenſionem haud injuriâ ſuſcipiendam ulteriùs autumet? qui ipſius Propoſitiones non rejiciendas,non deteſtandas, non abolendas, ſed incorruptas, ſed veriſſimas, ſed Chriſtianas eſſe fateatur? erit, qui ſtabilitam,editamque in illa ſplendida mendacia Pontificiam Conſtitutionem non probet, non laudet, eamque non appellet opportunum gladium ad prorſus reſecandum unum ſupra centum capita, quibus in tot Quesnelli Propoſitionibus Hæretica Hydra ſæviebat? non capio, adverſarij, non capio,cujuſnam adhuc rationis pondere moveamini, ut, quam reverentiam, & cultũ Sanctiſſimæ Conſtitutioni impertire deberetis, in Queſnelli patrocinium convertatis.

Ad hanc ego venerationem, ac obedientiam vobis acriter perſuadendam, quæ hujus Oratoriæ propugnationis pars eſt altera, & corona, reliquam jam transfero dicendi vim. Evolvite imprimis vobiscum animo, quid de illis civibus ſentiendum foret, qui,cùm à ſuo ipſorũ Principe ſumma æquitate promulgarentur leges, eas nullo excipiendas plauſu, nulla obſervatione proſequendas præpoſtero ducti judicio proclamarent? illosne cives (ſi fortè cives appellandi eſſent) illos ne cives alicujus laudationis præmio afficiendos diceretur? ah quàm gravi potiùs dedecore notarentur! quæ enim homini turpior ignominia, quàm rationis ductum neglexiſſe? quantùm vero ab illius rectiſſimæ animorum moderatricis imperio declinaret, qui juſtiſſimis legibus adverſaretur, nemo eſt, qui non videat. Cùm igitur in aperto ſit, quanta æquitate ſuam ediderit Conſtitutionem Sanctiſſimus Romanæ Eccleſiæ Princeps, ac Moderator, quid

 eſt,

eſt, quòd vos, vos inquã, qui hujuſce Chriſtianæ Reipublicæ amantes cives, juratosque defenſores fuiſſe hactenus, ac deinceps futuros pleno ore profitemini, quid eſt, quòd in expectatiſſima obedientiæ teſtimonia non erumpendum eſſe judicetis? quò abiit honeſtiſſimum illud immortalis gloriæ deſiderium, ut, cùm à rationis moderamine deflectatis, ignominioſi cujuſdam ſtigmatis amatores vos videam, & candidatos? ah quali in diſcrimine veſtræ ſapientiæ famam conſtituitis! quo enim jure ſapientiam appellabimus, quæ, cùm cauſæ pateat æquitas, eam nullo in pretio habendam doceat? O male collocatos in evolvendis libris aſſiduos, ac diuturnos labores! o infelicia literarum ſtudia, ſi æquitati non adhibendum ſuffragium didiciſtis!

Non exigui ſane momenti eſt, ſi viris cæteroquin ornatiſſimis injurioſa hæc labes inuratur; ſed quàm grave, ac ponderoſum, ſi celebratiſſimo Pariſienſis Academiæ nomini turpis pariter ignominia irrogetur! Hæcne eſt (rei novitate perſtrictus nonnemo forſan exclamabit) hæcne eſt illa florentiſſima Academia, quæ conditori ſuo Carolo Magno, ſuoque reparatori Ludovico Pio & perpetuum fuerat delicium, & præclarum non inanis gloriæ monumentum? hocne eſt nobiliſſimum illud Athenæum, quod novis indies ſplendoribus illuſtratũ, & clariſſimâ Doctorum coronâ inſignitum omnium plauſus, & admirationem conciliabat? hocne eſt celeberrimum literarum emporium, cui in acceptis refert univerſus orbis illos ſapientiæ ſoles, Iulios Cæſares Scaligeros, Petros Lombardos, Albertos Magnos, Scotos, Sanctiſſimosque Hilarium, Bernardũ, Bonaventuram, & Thomam Aquinatem? hocne eſt (ut dicatur compendio) hocne eſt exercendis ingeniis capaciſſimum theatrum, in quo miraculorum extabant veſtigia non preſſa leviter ad exigui prædicationem temporis, ſed fixa ad memoriam illius Academiæ ſempiternam? habuit, habuit, quo maxime ſuperbiret Pariſienſe ſcientiarum domicilium, ſed antiquiſſimum

 ſplendo-

ſplendorem, pompam, maieſtatem. Recentiores quidam Magiſtri obſcurant, minuunt, proculcant; nam, cùm eò illuſtriores cenſeantur Academiæ, quò impenſiùs curent de doctrinarum probitate, quid de Pariſienſi exiſtimandum, ubi in hoc conveniunt Doctorum placita non colendum, non obſervandum, quod juſte, ac legitime ſanctum non recognoſcere nefas eſſet?

Verum ſi ſuſcepto conſilio adeò tenaciter adhæretis, ut ad illud recantandum non moveat certiſſima honoris jactura, quâ & vos, veſtraq; Academia laborabit, ad aliud venio argumentum cordatorum hominum ſententiâ maximũ, & graviſſimum. Eâ nimirum verſamini in cauſâ, ut, cũ Sanctiſſimæ Conſtitutioni debita veneratio denegetur, id perinde ſit, atque palam diffiteri ſupremam plane, errandique periculo immunẽ illá eſſe authoritatẽ, quã ad dirimendas vel extra Oecumenicum Concilium rei dogmaticæ controverſias, hæreſeſque profligandas in Romano Oraculo veneramur; quis enim veſtrùm erga Pontificias Conſtitutiones ſe irreligioſum præſtaret, ſi de ſummâ illarum veritate injurioſum dubium concipere non auderet? Sed quî fieri poteſt, ut credamus, potentiſſimum rerum omnium Moderatorem Deum Chriſtianæ ſuæ Reipublicæ negligenter conſulere, ut, cùm Sanctiſſimum illius Præfectum de Orthodoxæ Fidei, ac morum regulis ſubditos ſibi populos edocentem viderit, peropportunis Divinæ cujuſdam Sapientiæ radiis non exornet? itane vigilantiſſimus Deus ſuarum Ovium Paſtorẽ deſeret, ut ſibi derelictus, & viarum dubius per invios, pericuoſosque anfractus gregem ducat aliquando? O rem incredibilem! itane ſuæ Navis Nauclerum deſtituet, ut, cùm velit curſum feliciter dirigere, ipſe tunc erret infelicior Palinurus? o rem abſonam, Divinoque regimini ſane injuriam! hæc tamen à vobis ſentiri videntur, dum iniquam conſpirationem tandem aliquando ejurare non contenditis, ſed quæ inde derivetur impietatis nota, per otium contemplemini.

Illum pariter ad articulum hoc vestrum devolvitur judicium, ut, dum Pontificiæ authoritati adversamini, nullam apud vos fidem habeant plura è receptissimis ab Ecclesiâ testimonijs, necessum sit: quid enim Romanus Pontifex apud Petrum Damianum, nisi *Lingua Cælorum?* quid apud Augustinum, nisi *Fundamentum, supra quod ædificij Ecclesiastici altitudo consurgit?* quid apud Cyrillum Hierosolymitanum, nisi *Præco summus Ecclesiæ?* quid apud Athanasium, nisi *Petrus potestate, Firmamentumque a Deo fixum, & immobile?* quid apud Theodorum Studitam, nisi *Thronus supremus verticalis, in quo Christus Fidei claves posuit?* quid apud Rupertum, nisi *Murus inexpugnabilis adversus hæreses?* quid apud Damascenum, nisi *Doctor supremus orbis terrarum?* quid apud Chrysostomum, nisi *Columen Ecclesiæ, Basis immobilis, Portus Fidei?* e quibus tot venerabilium Patrum sensibus Pontificiam, quam non colitis, authoritatem quis vel mediocriter sapiens non intelligat?

Serm. 26. Serm. 15. de Sanct. Cath. 11. Epist. ad Felicem Pap. Epist. ad Neucrian. Lib. 2. offic. c. 22. Histor. Barlaam. Homil. 3. in Act. Apost; & Homil. de Petro, & Paulo.

Magnum quidem piaculum à literatissimis Ecclesiæ Doctoribus dissentire; non minus tamen criminis genus, quòd, cùm Sacrosancta Concilia pro præsenti clament veritate, vos interim reclametis: clamat enim vero Tridentinum, à quo accepimus Supremæ Sedis authoritate Maximũ in terris Præsulem potiri: clamat Romanum illud sub Sylvestro in Ecclesia regnante celebratum, cùm scriptum reliquerit, à nemine Primam Sedem judicari: clamat Florentinum, cùm definierit, Romanum Pontificem Doctorum omnium esse Doctorem, cui benignissimus humanæ salutis Vindex plenam commisit potestatem, ut Christianam Rempublicam pasceret, & moderaretur: clamat Viennense, cùm docuerit, ad Apostolicam duntaxat considerationem pertinere, ea, quæ Fidei sunt, declarare: clamat Lateranense ultimum, cùm pronuntiaverit, Romani Pontificis ante omnia Concilia authoritatem nedum ex Sacræ Paginæ testimoniis, Sanctorum Patrum suffragiis, Pontificum, ac Sacrorum Canonum de-

Sess. 6. c. 1. de Reform. Can. ultimo. Sess. 25. Clement. unica de Trinit. Sess. 2.

crctis,

cretis, sed propria etiam eorundem Conciliorum confessione patefieri: clamat (A) Sardicense, clamat (B) Nicænum primum, clamat (C) Constantinopolitanum tertium, clamat illud (D) Lateranense sub Iulio Secundo inchoatum, & sub Leone X. conclusum, clamant complura alia, quibus supersedeo, legitime congregata Concilia, dum omnia ijs nos imbuunt documentis, ut in supremo Christianæ Religionis Antistite vivam Fidei, ac morum regulam suspicere debeamus. Quis vero mirari desinat, ac ridere, quòd vos, illi illi homines, qui ad futurum provocastis Concilium, tanquam de illius declarationum veritatibus minimè dubitantes, tot clamantium Synodorum voces iniquo animo excipiatis? Et quid taceam, quàm palmaris injuria illis omnibus inferatur Sanctissimis Pontificibus, qui, Oecumenico Concilio non coacto, in famosos hæresum cultores justissimis definitionibus, ac censuris invecti sunt; si enim Sanctissimus Dominus Noster Clemens XI. in reprobandis Quesnelli Propositionibus vana quadam potestate, vobis judicibus, usus est, cur non idem æque asseratis, cùm errorum damnationes propriæ authoritatis ductu promulgaverint in Nicolaitas Petrus, in Marcionistas Anacletus, in Noleisatas Fabianus, in Donatistas Melchiades, in Monothelitas Theodorus, in Fraticellos Honorius IV., in Lollardos Ioannes XXII., in Pseudo-Apostolos Bonifacius VIII., in Flagellãtes Clemens VI., in Iansenistas Innocentius X., in Montanum Victor I., in Claudium Clementem Paschalis I., in Basiliũ Gelasius II., in Ioannem VViclefũ Gregorius XI., in Petrum Abailardũ, & Arnaldum à Brixia Innocentius II., in Guillelmum à Sancto Amore, & Desiderium Longobardum Alexander IV., in Arianos illos Vrsacium, Valentem, & Auxentium Damasus, in Martinum Lutherum Leo X; & (ne seriem instituam longiorem) in Michaelem Molinos Innocentius XI?

(A) can. 3; 4. & 5.
(B) cap. 18; & 19. apud Iuliũ Pap I. in Epist. ad Episcopos Antiochiæ.
(C) Act. 6.
(D) Sess. 11.

Ad hanc igitur inauditam licentiam devenietis, ut non unius tantum Clementis XI., sed tot Sanctissimorum Pon-

tificum

tificum nomen hactenus gloriosum injuriosis maculis aspergere contendatis? vobismet ipsis, precor, proponite, qua in natione hujusmodi scelus perpetretis: ea nimirum est, in qua Pontificiæ, quam tuemur, authoritatis acerrimos cultores vidimus semper, & laudavimus: revocate in memoriam geminas illas epistolas ad Innocentium X; quarum alteram quinque supra octoginta Gallicani Episcopi, alteram Eminentissimus Mazarinus, unusque, & triginta infulati etiam Galliæ Præsules subscripserunt: perlegite elegantem illam, nec vobis ignotam Dissertationem à Petro Marca Parisiensi Archiepiscopo idiomate Gallico institutam; in his veluti depictis æternitati tabellis Pontificia in docendo veritas non tàm adumbratur, quàm exprimitur. Vellem ego, postliminiò redire possent illa jam convoluta tempora, quæ celeberrimis Conciliis Pontigonensi, & Cabilonensi, Turonensi secundo, & Aquisgranensi, Rhemensi, & Trosleiano, Melodunensi, ac Frecensi venerationem apud posteros meruerunt; videretis, quantum in illis Sacrosanctis Conventibus ingens Gallicanorum Antistitum numerus hunc vestrũ errorem objurgaret; illum increparunt Senonensis Provinciæ Episcopi, cùm libellum quendam anonymum de Ecclesiastica, & Politica Potestate hanc scilicet ob causam condemnarent, quòd Pontificiam authoritatem parvi pendere videretur: Cùm ergo nihil omnino sit, quod vestrã sententiam non enervet, quid est, cur immoremini, nec luculentis adeò, quæ protulimus, testimonijs desideratissimum calculum adhibeatis? nullum aliud recantatæ sententiæ certius dabitis argumentum, quàm si rectissime sanctam, editáque Sanctissimi Domini Nostri Clementis XI. Constitutionem publicis obedientiæ signis prosequamini: ad hunc unice scopum cùm in præsenti Propugnatione tela dirigerem, unum illud etiam validissimum nondum intorsi, quòd videlicet ea sẽper viguerit in Parisiensi Academia consuetudo, ut qui ad primos gradus promoverentur, laudabilem præmitterent declarati-

Ita habet Tractatus de Potestate Ecclesiastica;

declarationem, se adversus Sedis Apostolicæ decreta nolle quidquam asserere, aut defendere: cur hoc egregium pietatis monumentum antiquabitis? ah vos pudeat, ritum sanctissimũ, vobis authoribus, obliterari; pudeat clarissimos viros à Romanæ Ecclesiæ cómercio amoveri; hanc siquidem meritissimam pænam omnibus in Pontificiam Constitutionem adversariis novæ Literæ Apostolicæ, ut apprime scitis, anno proxime elapso inflixerunt. Ad extremũ id vos commonitos vellem, ut cum sapientis sit mutare consilium (prout decantatissimum fert proverbium) nunquam aliàs sapientes, imo & sapientiores haberemini, quàm si denegatam hucusque obedientiam effusissimo animi affectu rectissimæ Constitutioni impenderetis; hoc esset illustrius facinus, hæc victoria præstabilior, quia à vestris judiciis per vosmetipsos reportata; solus enim, qui se ipsum vincit, gloriosiùs vincit, ac triumphat.

quem anno 1604 in lucem edidit Davalius Doctor sorbonicus olim in Parisiensi Academia Theologiæ Professor.

Apostolicarum Literarum initium erat-Pastoralis officij, &c.

His rite, & ex voto peractis, actæ Divino Numini gratiæ, quòd Beatissimum Patrem Clementem XI. in eam impulerit mentem, ut tam salutarem ediderit Constitutionem, & Chorus figurato cantu Hymnum Ambrosianum persequutus est.

Et quia Ego Ioannes Moreyra, creatus Academiæ Eborensis Secretarius, præmissis omnibus, & singulis præsens, ac personaliter interfui, & prout scripta sunt, fieri vidi, & audivi, ac subscriptiones manu propria factas agnovi; ideo hoc præsens publicum Instrumentum dedi, subscripsi, & Academiæ sigillo munivi, requisitus in fidem, ac testimonium veritatis. Datum Eboræ 25 Novembris, anno Incarnationis Dominicæ 1719.

[L. ✠ S.]

Joannes Moreyr